



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

XLVII. Bischof Balduin von Brandenburg bestätigt den Dom zu Coswig, am  
29. Juni 1216.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

**XLVII.** Bischof Balduin von Brandenburg bestätigt den Dom zu Coswig, am 29. Juni 1216.

— Balduinus, dei gratia Brandenburgensis Ecclesie Episcopus. Admonet nos multipliciter, hortatur cura suscepti regiminis, et sollicitudo pastoralis inducit, ut ecclesiis et personis ecclesiasticis, que a Deo nobis commissa noscuntur, attentione vigili satagemus utiliter providere, et iustis eorum desideriis facilem prebeamus assensum, vota que ipsorum, que a rationis tramite non discordant, curemus perficere cum effectu. Ea propter notum esse volumus universis Christi fidelibus, tam futuris quam presentibus, quod, cum de permissione voluntaria et consensu Illustris Principis, Henrici, Comitis de Ascharia, in ecclesia Beate Marie Virginis in Cossowitz ad prestandum iuge servitium Jesu Christo per nos sint Canonici instituti, ita quod ipsi personas idoneas in Canonicos eligendi et prebendas suas, prout voluerint, administrandi, ab hujusmodi administratione ipsorum Preposito existente penitus alieno, liberam habeant facultatem. Idem Princeps proprietatem fundi, in quo noscitur ecclesia ipsa sita, villam quoque Lozeke, cum suis pertinentiis, consentiente fidei nostro, Hoyo de Valckenstein, qui eam jure tenuit feudali, ob spem vite perennis libera donatione contulit ecclesie antedictae, a nobis ecclesie ipsi datis duobus partibus decime de jam dicta villa respectu coelestium premiorum. Nos igitur donationem Principis memorati, legitimorum heredum conniventia rite actam, auctore Domino confirmamus, nostram collationem futuris temporibus firmam et inviolabilem permanere volentes, instrumenti presentis cum patrocinio communimus. Et ne quis tam nostre confirmationis quam donationis paginam ausu temerario presumat infringere, autoritate Dei et Beati Apostolorum Petri et Pauli, Domini Pape quoque ac nostra sub anathematis interminatione firmiter inhibemus, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina sunt hec: Sigbod, Havelbergenensis Episcopus, Rudolphus, Abbas in Lenin, Wilhelmus, Abbas in Cenna, Sifridus, Prepositus Brandenburgensis, Reinerus in Liezeke Prepositus, Alexander, Beate Marie in Magdeburg Canonicus, Ecbertus, Canonicus S. Sebast. in Magdeburg, Nicolaus, Plebanus in Jezere, Albertus, Dux Saxonie, Wernerus de Sufelitz, Albertus de Arneften et Gevehardus frater ipsius, Bedericus, Castellanus Brandenburgensis, Fridericus de Hasle, Burchardus de Brezne, Richardus de Plaue, Gumpertus frater ejus, Richardus de Scherewitz, Arnodus de Stasworde, Arnoldus de Plaue, alii que quam plures Clerici et Laici. Datum Prizerwe III. Kal. Jul. Anno Domini MCCXVI. Indict. III.

Bedmann's Anhalt. Hist. III., 314. Buchholz IV, 50.

**XLVIII.** Der Bischof Siegfried bestätigt dem Domcapitel zu Brandenburg dessen Gerechtfame und Besitzungen, am 28. Dezember 1217. 1216!!

— Ego Sifridus secundus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus. Ordinatione divina venerabilis et deo digni predecessores nostri: Wilmarus, Sifridus, Balderamus, Alexius, Norbertus, Baldewinus, Brandenburgensis episcopi, sanctam congregationem regularium canonicorum sub regula beati Augustini et institutione reverendissimi domini Norberti, Magdeburgensis archiepiscopi, in urbe Brandenburg in sedem episcopalem, quam pie memorie Otto imperator fundavit, ad servitium dei adunatam tempore nostre mortalitatis per